

„ ipſo etiam textu Codicis in ſingulas provincias noſtro
 „ ſubjectas Imperio, cum noſtra divina ſubnotatione mit-
 „ tendo, ut eo modo ad omnium notitiam, ejuſdem no-
 „ ſtri Codicis Conſtitutiones valeant pervenire, & ex-
 „ tantibus feſtibus diebus Paſchalibus, id eſt, ex die ſex-
 „ todecimo Kalendas Maii, præſentis ſeptimæ Indictio-
 „ nis, Conſulatu Decii viri clariffimi, recitationes Con-
 „ ſtitutionum ex eodem ſolo noſtro Codice fiant. „

Tertia conſtitutio ad *Senatum Urbis Conſtantinopolitana*, de novo Codice promulgando, incipit = *Cordi nobis eſt, Patres conſcripti, ſemper noſtri animi curas rebus communibus avidiffime impendere, ut nihil a nobis ceptum, imperfectum relinquatur* = Ubi tum de priore, tum de poſteriore novo Codice mentionem faciens Imperator: *His igitur omnibus (inquit) ex noſtra conſeſſis ſententia, commemoratus Juſtinianeus Codex a prædictis gloriſſimis & facundiffimis viris purgatus & candidus factus eſt, omnibus ex noſtra juſſione & circumductis & additis & repletis, necnon transformatis, nobis oblatus eſt. Juſtinus in ſecundo eum ex integro conſcribi, non ex prioris compoſitione, ſed ex repetita prælectione, & cum noſtri numinis auctoritate nitentem, in omnibus judiciis ſolum, quantum ad divales conſtitutiones pertinet, frequentari ex die quarto Kalendas Januarii, quarti noſtri feliffimi Conſulatus, & Paulini viri clariffimi. Et paucis interjectis. Repetita itaque juſſione, nemini in poſterum concedimus, vel ex deciſionibus noſtris, vel ex aliis conſtitutionibus, quas antea fecimus, vel ex prima Juſtiniani Codicis editione aliquid recitare: ſed quod in præſenti purgato & revocato Codice noſtro ſcriptum invenitur, hoc tantummodo in omnibus rebus & judiciis, & obtineat & recitetur: cujus ſcripturam ad ſimilitudinem noſtrarum Inſtitutionum & Digefforum, ſine ulla ſignorum dubietate conſcribi juſſimus.*

Ex tribus hiſce Præſationibus, ſeu Juſtiniani Conſtitutionibus, manifeſtum eſt, Secundam quidem pertinere ad promulgationem *Prioris Codicis*, quæ facta dicitur, ſeu potius faciendâ ſtatuitur, *extantibus feſtibus diebus*